





310 1928 K 944 L 7, 25  
D. FRIDERICVS LVDOVICVS 26  
K R E Y S I G

PATHOL. ET CHIRVRG. PROF. PVBL. ORD. VIC.  
FACVLTATIS MEDICAE WITTEBERGENSIS

H. T.

D E C A N V S

DISSERTATIONEM IN AVGVRalem

DIE XI. AVGVSTI A. C<sup>1</sup>CC<sup>1</sup>CCCXCVI.

H. L. Q. C.

H A B E N D A M

I N D I C I T.

---

*Physiologorum de natura vir vitalis dissen-  
fus exponuntur.*

PARS III.

1776

1776  
A 7131

**I**n exponendis neotericorum de natura vis vitalis decretis eo usque nuper deuenimus, ut ea solummodo nobis consideranda restaret sententia, quae cauſam, qua vitae phaenomena contineantur, in mixtione et forma corporum organicorum positam esse statuit. Hanc quidem iam olim a quibusdam propositam, deinde vero plane iterum neglectam et dimissam nuperrime nouis argumentis exornare studuit Cel. REILIVS, vir ingenio doctrinaque singulari insignis et sagacissimus rerum physiologicarum scrutator. <sup>1)</sup> Dicit autem cum rudium corporum vires omnes in materia positas esse credant, quamvis absolutam phaenomenorum ab iisis nobis oblitorum rationem ex ea intelligere non possumus, nihil impedit, quo minus et vitam in corporum organicorum mixtione et forma contineri credamus. In omni quippe rerum natura corporum phaenomena definitae eorum mixtioni et formae adstricta esse; his iisdem eadem et, vel quidquam mutatis, alia ab iis edi phaenomena, obseruantur. Mixtionis vero analysi insititura, quantum nobis licet subtili, tandem rerum primordia seu elementa offendimus, in quibus nihil, nisi conamen quoddam, se se inuicem attrahendi seu se cum aliis similibus elementis combinandi animadvertis. Cum vero elementa diuersissima nec unquam numeris describenda ratione inter se iungantur, diuersissimae etiam naturae corpora hinc exsurgunt, et quodcumque eorum, pro eo, quo mixtum et formatum est, modo sua prodiit et sibi propria phaenomena.

Quod autem formam materiae attinet, ea quidem iisdem ac mixtio materiae, diuersitatibus obnoxia et hinc etiam ad diuersissima phaenomena producenda apta reperitur; interim tamen cum ea diuersam elementorum, ex quibus materia mixta est, attractionem pro causa sua agnoscatur; ipsa ut effectus potius mixtionis seu ut phaenomenon considerandum est, quod mixtione materiae nittitur.

Ea

<sup>1)</sup> Archiv für Physiologie, istes Heft, von der Lebenskraft.

Ea vero phaenomena, qnae corpora viua nobis offerunt, non minus ac ista rudium corporum, mixtione ipsorum niti, vel ex eo apparet, quod mixtio materiae corp. organ. plane peculiaris est generis; et vitae phaenomena huic solitummodo adstricta sunt; similia porro sunt vegetabilis et animalis regni phaenomena, similis etiam eorum deprehenditur materia. Dissert deinde singularum c. animalis partium mixtio et structura et peculiares etiam cuique partium generi, prout peculiari ratione mixtae sunt, datae sunt vires easque adeo dum mixtio. nem earum mutamus, nepte dum corpus vel irrigamus vel siccum vel laxum reddimus vel intendimus etc., mutare nobis licet. Quae cum ita sint, nihil magis optandum esse dicit, quam hoc, ut physices et chemiae periti hanc doctrinam naturalis partem pro viribus excolere et nos experimentis institutis, materiae animalis naturam accuratius eruere studeant.

Ex his igitur certum firmumque videri posset, solo mixtione corporum accurato scrutinio physicam scientiam in vniuersum et corporum organicorum etiam ad eum perfectionis gradum euelli posse, qui intra humanae mentis limites cadit. Quamvis vero equidem ipse iis valdopere assentior, qui accuratam chemicae corporum mixtione cognitionem maximi tum in physica scientia vniuersali, tum in ea eius parte, quae viua corpora scrutatur, momenti esse credunt, attamen dum de hac sententia modo exposita cogitarem, plura in mentem venient, quae eam et accuratius definierant et vero etiam limitandam esse suadere videbantur. Pace igitur Cel. huius sententiae auctoris dubia quaedam omni, quae tanto ingenii Viro debetur, decentia proferre liceat. Omnem autem hanc questionem in duas dirimendam esse duximus, ita ut primo loco inquireremus, quatenus dici possit, corporam in vniuersum et organicorum in specie vires in mixtione et forma eorum contineri; deinde vero quatenus, posita hac theoria, vitae phaenomena melius explicari poterint?

Quod priorem attinget, eam vix, nisi forte mixtione vocabulum latissimo sensu sumatur, affirmari posse credo: Et primo quidem dubitari posse videtur, num omnes res, quae sensus nostros feriunt, materiae



teriae nomen mereantur? 2) Huius enim est, vt minime penetrari se patiatur et, quiequid in eam impellit, repellere conetur; deinde vt cum aliis corporibus coenobium ineat tale, ex quo nota et diuersae indolis materia prodeat, denique vt grauitate gaudeat et ad proprium motum inepta reperiatur. Iam vero plures sic dictas materias cognoscimus, quae his materiae characteribus omnino deslitigiae sunt, seu in quibus certe hi characteres nondum detegi poterunt; lucis et electricam tantummodo nominare licet. Num igitur fortasse substantiae quaedam in rerum natura inueniuntur, mouendi facultate donatae a corporum natura diuersae, quibus magna mutationum pars tribuenda sit, quae in corporibus naturalibus animaduertimus; an corpora hae substantiae nominandae sunt peculiares indolis, nempe mouendi potentia praedita, cuius tamen absentiam alias proprium materiae characterem constitutre dicimus? Donec igitur certo demonstratum erit, omnia, quae sensu externorum beneficio nobis traduntur, phaenomena non nisi a materia produci, cum certitudine contendи vix poterit, omnes corporum vires, quae ex phaenomenis eorum colligimus, mixtione eorum contineri. Quodsi concedimus materias quidem esse has substantias, notandum tamen est, tum eas tum alia etiam subtiliora principia saepe ita aliis materiis rudibus inesse, vt chemicam cum iis mixtionem iniisse dici non possint, sed iis tantummodo mechanica ratione admixta sint; hac ipsa tamen re efficitur, vt materiae rudiores, quibus illae subtiliores hac ratione iunctae sunt, ad noua phaenomena edenda aptae reddantur. Sic cum electrico v. c. principio rei se habere, nemo facile negabit. Iam vero cum abesse hoc possit vel adesse in corpore aliquo, huius integritate et natura nequicquam mutata, proprio certe sensu ad mixtionem alicuius corporis referri non poterit, nec corpus aliquod ob mixtionem suam electrica phaenomena edere, dicere licebit, si ob materiam electricam in eo accumulatam ista prodiderit.

Sed concedamus et hoc, eiusmodi materias certis sub conditionibus corporibus physicis admixtas ad propriam earum mixtionem lato sensu sumtam, esse referendas et rudium corporum vires sola

eorum

2) vid. Cl. BRANDIS, über die Lebenskraft. S. 27.

❧

eorum mixtione nitit; inde tamen, cum organicis corporibus rem sic se habere, minime sequitur; neque etiam tam firmis haec sententia probata esse videtur argumentis, vt nullus dubitationi amplius locus concedatur. Sit enim, phaenomena vita peculiari materiae, nempe organicae, adstricta esse, nec in corporibus rudibus vñquam ea deprehendi, datur tamen etiam organica materia, quae vita desituta est; nempe animalium 'et plantarum mortuarum. Tantum hinc abesse videtur, vt philosophi propterea, quod materiam per se inertem et mortuam esse dixerint, peccasse censendi sint, vt posuisse Cel. Vir aliquid videatur, quod ipsi antea demonstrandum erat, dum, dari materiam viuentem, quotidiana nos doceri experientia, contendit.<sup>3)</sup> Sed infert; materiam organicam, quam mortuam appellamus, in hoc statu non amplius perfectam esse, sed ipsi cum morte materias aliquas auolare v. c. eam, quae putredini antea aduersata sit et ad perfectam mixtionem pertinuerit; <sup>4)</sup> hinc igitur fieri, vt corpus animale mortuum iam putrefeat, quod antea a principio quodam in ipso praesente a putredine eadem fere ratione defensum fuerit, qua a carne mortua ope spiritus vini ipsi affusi haec corruptio avertatur; hinc vero etiam fieri, vt oppositis quibusdam substantiis, v. c. oxygenio, calore, electrica materia etc. vita iam deleta nonnunquam reuocetur. Nescio multa ne hisce tribuat Cel. auctor nec ne? revera quidem ita comparata esse videntur, vt equidem parum iis tribuendum esse credam. Quod primum attinet, principium aliquod cum morte simul auolare positum quidem, minime vero probatum ab eo est; hoc enim, quod caro mortua, appositis quibusdam rebus, a putredine defendatur, cum eo vitae effectu vix comparandum esse videtur, quo mixtionis c. org. integritas conservatur; neque enim, dum vita viget, tale principium in c. org. praesens deprehendimus, neque etiam, dum vita abiit, auolare vñquam videmus. Aegre etiam intelligitur, cur hoc principium, quod perlongum annorum spatium corpori inhaefit, nunc cito saepe et semel omne fecedad? e contrario hoc experientia docemur, eandem causam, quae c. org. ad

\* 3

cetera

3) Loc. cit. pag. 13. 14.

4) Loc. cit. pag. 53.

cetera vitae phænomena edenda apta reddat, putredinem etiam ab ipsis arcere; quam diu enim istud, quod motus corporum org. vitæles producit, in iis habitat, quantum certis sub conditionibus se sit per tempus aliquod motibus exercere nascit, putredo nunquam intrat, ne in animalibus quidem, quae per omnem hiemem quasi mortua sunt, i.e. motu vitali omnino destituta: nullam vero omnino vim vitalem in animalibus superesse non nisi tunc cum certitudine affirmare nobis licet, vbi putredo reuera intrare incipit. Magna igitur intercedit inter asphyxiæ et mortem differentia; mortem quippe cito insequitur chemica destru-<sup>ctio</sup>, quæ in asphyxia procul detinetur et in qua vitae redditæ spes affulget; nec dici proprio sensu potest, vitam iam amissam et vere deletam, calore, oxygenio etc. corpori applicatis, denuo reuocari. Tunc enim perinde esset, qua copia haec principia adhiberemus, ut vita in asphyxia suppressa restitueretur; sed vero cautissime nobis in eorum applicatione versandum est, ne fortasse iisdem, quæ vehementes vis vitalis stimulos esse scimus, vitae reliquum quasi flamen omne pessundemus et destruamus. Quodsi chemica ratione ea corpori admissicerentur siccique, mixtionem nempe labefactatam denuo perfectam reddendo, vitam reuocarent; tunc etiam contingere deberet, ut corpus animale, in quo aliqua iam incepisset putredo, tamen in vita nonnunquam reuocaretur, de qua re nullum omnino extat exemplum. Nonne igitur haec principia, quorum ope vitam suppressam, non deletam, nonnunquam reuocare nobis contingit, stimulante potius sua virtute hoc efficere, probabilior habenda est sententia?

Aliud argumentum, quo Cel. viri sententia comprobari video possit, in eo cernitur, quod probabilitati omnino contrarium esse dicit, omnia vitae phænomena ab una produci materia, quemadmodum v. c. corporum naturalium expansio a sola caloris materia pendeat. 5) Nullam enim unquam in omni rerum natura materiam deprehendi ait, quæ sola et per se viuat, nec vitam nos deprehendere, nisi coniunctam cum materiis in oculos incidentibus; deinde vero nimis diuersa a se

5) Loc. cit. pag. 49.

a se inuicem et multifaria esse vitae phaenomena, quam vt ab vna ma-  
 teria omnia ortum ducere credere possimus; denique vero etiam idem  
 ex eo apparere, quod materiae animalis eius, que in sensu nostris  
 incurrat, mutatione seu plurium et diuersarum materialium appositi-  
 one, vt electricae, caloris, oxygenii, opif vis vitalis nunc augeri, nunc  
 deprimi possit. Interim tamen si dicendum, quod res est, vnum  
 omnino istud videtur, quodcumque demum sit, ex quo omnia, ex-  
 terno quidem adspectu diuersissima vitae phaenomena ortum ducunt;  
 quodsi vis vitalis in materia ipsa cernatur, vna etiam ad omnia pro-  
 ducent par esse possit. Cum vero vis vitalis vnitatem hoc loco pro-  
 bare ob spati angustiam non licet, dubitationes tantummodo non-  
 nullas adferre licet, quae Cel. viri argumenta consideranti in mentem  
 venerunt. Primum nempe comparatio ipsa ab eo instituta contra rem  
 suam facere videtur; ab vna quippe materia, nempe caloris non solum  
 expandi corporum omnium ambitum, sed alia quam plurima et diuer-  
 sisima produci phaenomena videmus, prout corpora in quos calor agit,  
 natura sua a se inuicem diuersa sunt, nonne hinc etiam ab vna ma-  
 teria subtili diuersa vitae phaenomena produci possent? Nihil certe  
 obstat, quo minus hoc credamus, quod nullam materiam simplicem  
 noscamus, quae vita gaudeat; quemadmodum quippe calor diuersas  
 in corporibus, cum quibus iungitur, pro diuersa eorum indole, muta-  
 tiones producit, sic subtilis etiam aliqua materia, quatenus cum cor-  
 pore organico iuncta reperiatur, peculiaria proferre possit phaenome-  
 na, neque aliis in corporibus, cum quibus iungeretur, nec in ea  
 ipsa et a corpore organico separata vnuquam obseruanda. Quodsi vero  
 admodum diuersa sunt vitae phaenomena, omnia tamen tandem ad  
 duo tandem genera reduci posse videntur, quae ab vna eademque  
 causa pendere probari potest; vel enim in motibus automaticis ab  
 extus excitatis cernuntur, qui ab diuersam organorum, in quibus con-  
 tingunt fabricam, diuersissimos omnino, in oculos nostris incurren-  
 tes, producent effectus; vel consistunt in conseruatione integratatis  
 corporum organicorum mixtionis, id quod chemici legibus vniuer-  
 salibus contrarium omnino esse fateri opportet. Motus vero hos orga-  
 nicos cum eiusdem indolis sint, ab vna causa pendere, demonstratione

non

non eget; mixtionis vero conseruationem ab eadem pendere in principio iam probauimus. Parum denique tertio arguento tribuendum videtur. Ele<sup>c</sup>trica<sup>e</sup> enim materiae aut oxygenii etc. *appositione seu admixtione* fieri, vt vis vitalis nunc augatur nunc deprimitur, hypothetice tantummodo positum, minime argumentis euictum est; deinde vero non ipsam vim vitalem his materiis mutari experientia compertum habemus sed eam solummodo eius facultatem seu proprietatem, qua affici se patitur, irritabilitatem et sensibilitatem dictam, quam Cel. vir male cum vi vitali confundi ipse docet.<sup>6)</sup> Quodsi igitur animali materiae vel apponenterent seu admiserent haec substantiae et haec ratione efficerent, vt vis vitalis nunc alacrius nunc tardius se exsiceret possit, nihil aliud inde sequi posset quam hoc, principii vitalis facultem stimulos recipendi et in materiam organicam agendi nunc inde augeri nunc vero imminui; minime vero vim vitalem ipsam his rebus applicatis mutari.

Quae cum ita sint, dubitandum adhuc videtur, num vim vitalem in mixtione materiae organicae cerni, vere dici possit; propositionem certe hanc aliis iisque certioribus obsirmandam argumentis, et accuratius definendam esse credimus. Num vero, posita hac theoria, phaenomena vitae vel nunc melius explicare liceat vel in posterum certe ea melius inde explicatum iri sperare possimus, proxime videamus.

Nunc enim, quae haec scribendi opportunitatem dedit, indicanda est solennitas.

VIRI  
AMPLISSIMI DOCTISSIMI QVE  
GOTTLOB BENIAMIN BAVERI,

GEBENA - LVSATI,

MEDICINAE CANDIDATI ET CHIRVRGI KLEINWELKENSIS,

qui laudabili studio talem medicarum disciplinarum thesaurum sibi comparauit, vt ad summos in medicina honores, quos humanissime a nobis petuit, impetrando aditum ipsi parare nulli dubitauerimus.

Confit.

6) GAUTIER, de irritabilitate §. 9.

Confirmauit autem nobis suam in addiseenda medicina diligentiam egregie in examine nuper cum eo insituto tum etiam proprio testimo-  
nio, quod de vitae sua hucusque gestae ratione nobis sequentibus ver-  
bis communicauit:

**E**go, GOTTLÖB BENJAMIN BAVER, natus sum Gubenae, urbe Lusatiae inferioris haud incelebri, a. d. 27. Jul. 1755. ubi pater, IOANNES GEORGIVS BAVER, mercator, matrem, ANNAM ELISABETHAM, e KAV-  
LIA gente illius urbis haud ignobilis in matrimonium duxerat. Qui optimi parentes licet educationem meam curae cordique haberent, finem propositum haud fuerunt affecti, cum patre anno aetatis meae octauo, e viuis erecto, mei et duorum liberorum iuniorum educationi soli matri fuisse relicta. Ne-  
que tamen haec parens pie colenda quicquam eorum praetermissit, quae ad animum tum religionis praecepsit, tum futuro vitae generi ac-  
commendandum facerent. Primis mox annis Gymnasio urbis patria traditi-  
tus ad annum duodecimimum praceptoribus LAVRISCO, THIERBACHIO,  
HVEETNERO etc. in disciplinis physicis, mathematicis, linguisque cultiori-  
bus usus sum, cum praecipue in eo essem, ut anno insequente Academiam  
Vitebergensem, ad studium artis salutaris, quo magno tenebar amore, co-  
lendum petere vellem. Agnatis vero hoc meum consilium ea potissimum de  
causa improbantibus, quod res domesticae et patris morte et exitio belli  
septu animalis turbis, arctius reducuae matri optimae maiores opponerent  
difficultates, quibus tollendis ipsa vix par foret; non sine tedium, hoc, quod  
ceperam, consilium, tandem reliqui, atque BAVMGARTENIVM auunculum  
atque chirurgum adii, qui artem chirurgicam theoreticam et practicam di-  
ligentissime docuit. Cui ipsi magistro quanta debeam pro labore, quo  
mihi anatomiae, pathologiae et chirurgiae praecepta tradidit, nunquam  
animo grato exciderit. Triennio hic praeterlapsi, Dresdae in insituto me-  
dico-chirurgico ab anno 1775-78. scholas HAEHNELII, OTTONIS, PIT-  
SCHELII, WILDII, aliorunque anatomiam, physiologiam, pathologiam,  
chirurgiam, clinicanque disciplinam illustrantium frequentavi. Licet vero  
neque hoc tempore consilium academica studia ulterius exceclendi, plane de-  
seruerim, animum tamen iam ceperam nome in Unitate fratrum profite-  
ri, et ao. 1788. Herrnhuthium profectus sum. Post trium mensum spatium

\*\*\*

ian-




tanquam chirurgus praetitus in congregacione fratrum GNADENFREY, in Silesia sita, publice constitutus, diuino auxilio, externam aequem ac internam medicinam exercui, cum collegium medicorum Wratislauensem, medico ordinario ibidem deficiente, licentiam hanc mihi concesserat. Ao. 1781. ut chirurgus ordinarius Kleinavelkam vocatus sum et a Collegio Sanitatis Dresdensi, postquam Speciminiis loco, Theses de Empyemate, Hernitis, Hydrocele, Sarcocoele et Carcinomate, theoretico-practicas elaboraueram, testimonio chirurgiam in omnibus electoratus saxonici locis publice exercendi ornatus, et veniam quoque medicamenta interna, re ita exigente, praescribendi simul natus sum. Ex quo inde tempore, faveante numine, in medendo feliciter versatus, aegrotorum mihi conciliav fiduciam. Ne vero veniam, quae mihi ad praxiu medicam data fuerat, nimis extenderem et cum medicus legitimus Kleinavelke non obueniam esset, ut et aliis causis adductus in Academiam Vitebergensem, quam bis iam adire constitueram me contuli, ciuibus eiusdem Magnifico TITIO, Physices Professore, fasces academicos hoc semestri aestuo tenente, adscriptus sum, ante pauos dies apud ordinem Medicorum examen consuetum fabii, qui praefitit omnibus, mihi aditum ad summos in erraque medicina honores patefecit.

Huic quidem ab Ipso nobis exhibito testimonio eo lubentius subscribimus, quo magis Ipsum Virum in vtraque medicina egregie veratum nouimus. Ipse vero nouum idque publicum doctrinae sue Specimen ediduturus est die XI. Augusli, quo die Dissertationem Inauguralem a se Ipso conscriptam:

*De Scarlatina observationes et meletemata quadam,*

Praeside Excell. et Exper. SALOMONE CONSTANTINO TITIO, Collega coniunctissimo, publice defendendi Ipsi copiam fecimus. Quam quidem solennitatem ut praesentiae Sue honoris ornare et splendidam redere velint, RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, PROCERES VTRIVSQVE REIPUBLICAE GRAVISSIMOS, VNIVERSITATIS NOSTRAE CIVES GENEROSISSIMOS, PRAENOBIILLISSIMOS pro officiis nostri ratione, omni qua par est, humanitate inuitamus. Dom. XI. post Fest Trinitatis a. MDCCXCVI.



Wittenberg, Diss., Ergbd. 7, 1792-96

vol 18


f



3

86

W  
17



1928 K 944

47, 25

26

D. FRIDERICVS LVDOVICVS  
K R E Y S I G

PATHOL. ET CHIRVRG. PROF. PVBL. ORD. VIC.  
FACVLTATIS MÉDICAЕ WITTEBERGENSIS

H. T.

D E C A N V S

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM

DIE XI. AVGVSTI A. C<sup>CCCCXCVI</sup>.

H. L. Q. C.

H A B E N D A M

I N D I C I T.

---

*Physiologorum de natura vis vitalis differ-  
fus exponuntur.*

PARS III.

1786

1131